

non una) specie instituisse, cui obtemperandum, *1. Cor. 11.* & ideo non ad Concilii decisionem hic fugiendum. Quærerere præterea oportuisse Adversarios: an Christi institutio (sub utraqve specie) servanda sit, nec ne? Non, an Corpus & Sanguis Christi in S. Cœna sint divisa, aut conjuncta? Quoad *17.* panem & vinum extra legitimum usum non esse Sacramentum. Si itaque (1.) ante sumptionem adoraretur, tunc Panis & Vinum adoratur, & non Christus. Apostoli (2.) non leguntur adorasse, sed edisse & bibisse. Proinde (3.) quidem adoramus in spiritu & veritate *Job. 4.* Non vero in Pane & Vino id quod & pariter de *18.* asserimus. *19.* Quæ pro conclusione addunt, illa cum mica salis sunt approbanda, absolute enim, vel pro intentione sanguisugarum detorta, nil nisi abominanda spirant & redolent.

## FINIS

## LIBRI INTERIMISTICI.



## HISTORIA FORMULÆ CONCORDIÆ.

**T**empore publicati Interimistici libri Wittebergenses & Lipsenses Theologi plus concesserant Papistis, quam oportebat, imo Philippus Melanchthon, defuncto Luthero, in asserenda carnis Christi majestate non timidiusculum solum apparebat, sed etiam manifeste cum Sacramentariis colludebat. Sectatores ejus Crypto-Calviniani in Academia Lipsensi & Wittebergensi, ut suspecta redderetur Lutheri doctrina, Brentium & Illyricum sed nescio quibus monstris dogmatibus incusabant, ac si vinum & panem essentialiter esse sanguinem & corpus Corpus Christi, & hæc ipsa ore corporaliter accipi, & idioma omnipræsentia *ἡ λόγος* proprium, humanæ naturæ, tanquam in omnia loca extensæ, accidens factum esse docerent. His calumniis Wittebergensium traducebantur Orthodoxi, ideoque Principes Evangelici Augustum Electorem monent, ut in doctrinam suorum Theologorum inquireret. Wittebergenses tamen & Lipsenses ita responderunt, ut dum Lutheri doctrinam se unicè amplecti simularent, fucum Electori facerent, & cum alia se indigna committerent,

tum.